



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. VIII. An Theologia nostra sit practica, vel speculatiua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

tamē doctrina cōprehendit sub se vtramque, sicut & Deus eadem scientia se cognoscit, & ea, quæ facit. Magis tamen est speculativa quam practica: quia principalius agit de rebus diuinis quam de actibus humanis: de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectā Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Conclusio, & summa totius articuli est, *Sicut Dei scientia, quæ se, & alia cognoscit, simul est practica, & speculativa, sic etiam est Theologia nostra; præcipue tamen est speculativa; quia principalis de Deo, quam de aliis rebus tractat.*

DISPUTATIO VIII.

Vtrum Theologia nostra sit practica, an speculativa.

Sententia Scoti, cap. 1.

Dua alie opiniones, quas refert Durandus, cap. 2.

Quid sentierit Henricus, cap. 3.

Sententia Durandi, cap. 4.

Notationes pro verioris sententia explanatione, cap. 5.

Explicatio verioris sententia cap. 6.

CAPUT I.

Sententia Scoti.

Doctrina S. Thomæ in hoc articulo non tantum vera est, sed intellectus etiam facillima esset, nisi Caietanus, & recentiores aliqui nimia subtilitate obsecutionem reddidissent. Sed neque in hac re tanta opus esset concertatione, nisi reliqui Scholastici putantes questionem maioris esse momenti, tot, tamque varia docuissent. Cum quibus omnibus libenter disputationem prætermitterem, nisi hoc potius videretur effugium, quam studium vitandæ prolixitatis. Examinandum ergo est, vtrum hæc nostra Theologia sit practica, an speculativa. In qua questione de praxi, & speculatione obiter quoque disserendum est; ex his namque colligitur, quæ sit facultas practica, & speculativa: sed more solito opiniones aliorum præmittamus.

Prima autem sententia sit Scoti, qui q. 4. Prolog. §. ad questionem igitur respondeo, & §. Secundus articulus, duo docet: alterum est, Theologiam, ea etiam parte, qua circa Deum, & veritates necessarias versatur, in nobis quidem esse scientiam practicam: in Deo autem esse omnino speculativam. Alterum est, Theologiam ea parte, quæ versatur circa veritates contingentes, si sint opera nostra, in nobis quidem esse practicam, in Deo vero circa omnes veritates contingentes esse speculativam. Vtriusque assertionis præcipuum fundamentum, est definitio praxis, quam ipse tradit in ea questione §. Dico igitur primo, in hunc modum, *Praxis est actus alterius potentie, quam intellectus, naturaliter posteriori intellectione, natus etiam conformiter rationi recte, ad hoc, ut sit actus rectus.* Omnia verò explanatione, quam ipse Scotus prolixè adhibet; ex hac definitione colligit, praxim in vniuersum esse actum voluntatis elicitem, vel imperatum: hic enim solum naturaliter posterior est intellectu, & tanquam regulam respicit ipsam rationem.

Vasquez in 1. part. Tqm. 1.

Ex hoc principio probat Theologiam in nobis, tam quæ versatur circa Deum, quam illam, quæ versatur circa nostras operationes, esse practicam: quia habitus ille practicus est, cuius actus est verè practicus: huiusmodi est actus Theologiæ circa has omnes veritates: ergo habitus etiam erit practicus. Actum verò Theologiæ practicum esse probat: quia illa est cognitio practica, quæ est naturaliter prior, & suapte natura cōformis est: potest recte voluntati, quam dixit Scotus esse praxim. Illa enim est cognitio practica, quam consequitur praxis: talis autem est cognitio Theologica, etiam ipsius Dei secundum se: mouet enim affectum, vel circa ipsum Deum, vel circa alia obiecta virtutum, de quibus agit: qui affectus, etiam sine actu exteriori imperato, est praxis, ex definitione posita. Hac eadem ratione debet concedere Scotus, visionem claram Dei esse practicam, quia eam naturaliter consequitur amor cōformis rectæ rationi.

Probat deinde Theologiam in ipso Deo, quæ est scientia sui, & creaturarum, non esse practicam: quia licet eam sequatur dilectio, illa tamē non est regula rectæ voluntatis in Deo: eo quod voluntas Dei ex se, non ex ordine ad rationem rectitudinē habeat, ac proinde voluntas in Deo non erit praxis; quia non est natura sua cōformis rectæ rationi; sed ex se ipsa rectitudinem habet. Cum Scotus ex parte cōuenit Bassolis in q. 8. Prolog. 2. aliter enim Theologiam non solum ipsius Dei de seipso, sed etiam quam Beati habent de Deo per clarā ipsius visionem, non esse practicam; alia tamen ratione, quam Scotus id docet. De Theologia quidem, quam Deus habet de se, probat suam sententiam; quia ad rationem practicæ cognitionis necessarium est, ut moueat ad praxim ex affectu, qui præcedat circa finem: id autem non facit Theologia, quæ Deus, & Beati habent: quia illa prior est omni voluntate circa finem; ergo non est practica: Ex quo è contrario infert, Theologiam viatorum practicam esse.

Ceterum, quamuis questio potius de verbis, quam de re esse videatur; sententia, & modus loquendi Scoti non placet. Neque enim vnicuique licet pro libitu nomina rebus imponere, etiam si in re ipsa explicata nihil contineatur absurdum: praxis ergo, & practicum, illud debet ab omnibus appellari, quod Græci philosophi, præsertim Arist. vim ipsam Græcarum vocum optimè intelligentes, exprimere voluerunt; cum ergo intra probatum fuerit ex Arist. aliud dici praxim, aliud etiam practicum, quam appellauit Scotus, constabit etiam, absque fundamento Scotum ita fuisse locutum. Interim tamen addendum est id, quod etiam infra q. 14. a. 16. notabimus; videlicet nullius momenti esse rationem, propter quam ipse docuit, scientiam, quam Deus habet de seipso, aut de rebus, non esse practicam. Quod enim voluntas Dei non habeat, ut regulam primam, suam cognitionem, conuenit etiam cuique creatæ voluntati, ut ostendam 1. q. 19. ar. 3. Prima enim regula bonitatis, & malitiæ per consonantiam, vel dissonantiam, non est dictamen rationis, sed ipsamet natura rationalis; dictamen verò rationis est proxima regula proponens, & iudicans id, quod consonum, & dissonum est naturæ rationali; nihil autem obest, quo minus eodem modo in Deo ita esse dicamus; ergo si in nobis ea scientia, quæ mouet affectum ad dilectionem rectam, ex sententia

C 2

Scoti;

Ratio Scoti
pro priori
parte sua
sententia.

Ratio pro
altera parte.

Cum Scoto
ex parte
conuenit
Bassola.

Impugnatur
Scoti
sententia.

Scot.
Theologia
in nobis,
quo modo
practica sit
Secundum
Scotum, non
in Deo.

Quia sit
praxis secū
dum Scotū.

Scoti, practica est, ita etiam de scientia, quam Deus de se habet, & de aliis rebus iudicare debemus. Aliam verò rationem, quæ peculiariter probat, scientiam, quam Deus habet de creaturis, non esse practica[m], art. illo 16. facile confutabimus. Nunc contra Scotum hæc sufficiant.

*Bassolis.
Sententia
Bassolis re-
fellitur.*

*Aristotel.
Quomodo
intellectus
speculati-
uus sit uni-
uersalem
præcisi-
u[m] vere singu-
lariu[m].*

*S.
Aristot.*

S. Thom.

Bassolis quoque absque fundamento practica[m] notitiam voluit solum appellari, quæ ex affectu priori circa finem dirigit ad alium affectum, vel ad opus. Cui enim cognitio synteresis in vniuersum, & prudentiæ cognitio singularis, quæ subito dicitur aliquid faciendum, in primis motibus verè sit practica, & non procedat ex affectu priori circa aliquem finem, frustra prædicta cōditio assignatur. Neque obstat quod Aristot. 6. Ethic. c. 1. dicit intellectum speculatiuum versari circa vniuersalia, practicum vero circa singularia, hoc enim idè dixit, quia practicus solus intellectus versatur in consulatione de singularibus, speculatiuus verò in consideratione vniuersalium, ut plurimum, esse solet, hoc tamen non obest, quo minus practicus intellectus habeat sua vniuersalia principia, ad deducendas singulares conclusiones per prudentiā, sicut videtur tradidisse Arist. 3. de Anima cap. 8. text. 39. vbi sic ait, Ea vero ratio, quæ scientia tribuitur, non mouet, sed manet. Quibus intelligit, ut explicat S. Thomas, rationem speculatiuum, de practica verò subdit, Cum autem existimationem, & rationum alia sit vniuersalis, alia singularis: illa namque dicit, omne bonum boni ius est assequendum: hæc vero dicit, me esse bonum: hæc iam opinio mouet, non illa vniuersalis: quin potius amba mouent. Concedit ergo Aristot. rationem practica[m] circa vniuersalia etiam principia versari. Consonat autem S. Thomas 1. p. q. 79. art. 12. cum asserit rationem practica[m] discurrere de rebus singularibus, & operationibus; & ad id principia vniuersalia habere.

CAPVT II.

*Dixit alia opinio, quæ refertur
Durandus.*

*2. sententia
Durand.*

*6.
Theologia
est simplici-
ter specula-
tiua ex fine.*

*Impugna-
tur.*

*3. sententia.
Theologia
nec specula-
tiua, nec
practica,
sed affecti-
ua.*

Secunda sententia sit, quam refert Durand. q. 6. Prol. nu. 7. quorundam, qui dicebant, Theologiam nostram esse speculatiuum simpliciter: non quia non versetur circa opera: sed quia scientia quæcunque denominationem simpliciter sumit ex fine præcipuo: finis autem Theologiæ est beatitudo nostra, quæ est cognitio speculatiua: ergo Theologia erit scientia speculatiua simpliciter. Hanc sententiam prolixius impugnat Durand. nobis autem sufficiat prima ratio, quam ipse affert. Quia scientia non est dicenda practica, aut speculatiua, nisi ex proprio actu quem elicit; qui si fuerit practicus, ipsa quoque scientia practica erit; etiam si disponat ad beatitudinem, ut ad finem consequendum: si verò sit speculatiuus, ipsa quoque speculatiua erit. Videndum ergo est, utrum actus, quem habet Theologia de rebus, quas tractat, sit practicus, an speculatiuus, vel vtriusque conditionis; ut inde colligamus, qualis sit ipse habitus Theologiæ. De quo quidem actu non satis consentiant Scholastici.

Tertia igitur sententia sit, quam idem Durand. refert q. illa 6. num. 14. aliorum, qui asseriebant, Theologiam neque esse practica[m], nec speculatiuum, sed affectiuam; hoc est, quæ ad mouendum affectum ordinatur. Probant autem, quia præci-

puus finis illius est excitare amorem Dei, quem præcipue Theologia considerat: quod si est affectiuum, nec erit speculatiuum, nec practica: quia affectiuum pertinet ad voluntatem, practicum verò, & speculatiuum ad intellectum: sic refert Durand. hanc sententiam, cum suo fundamento. Eam verò docuisse videtur Egidius 4. p. Prolog. quæst. 1. qui affirmat tria hæc Theologiæ cōuenire: affectiuum, practicum, & speculatiuum: primum principaliter, reliqua duo improprie. Ratio autem illius est, quia scientia denominationem accipit à fine præcipuo: finis autem præcipuus Theologiæ est excitare affectum ad amorem.

Ego tamen non video, cur Theologia nostra non sit practica, nec speculatiua, etiam si sit affectiuum, hoc est, etiam si moueat affectum ad amorem: quia affectiuum non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum: id enim quod mouet affectum vel est intellectus, vel ad intellectum pertinet: ergo non repugnat eadem scientiam in intellectu esse æque practica[m], & speculatiuum, simulque affectiuam. Ipsa enim consideratio, vel practica, vel etiam speculatiua interdum mouet affectum ad amorem rei, quam considerat: ergo affectiuum non distinguitur à practico, aut speculatiuo in cognitione. Eandem sententiam impugnat Scotus quæst. 4. Prolog. §. Quarta via. Censet enim Theologiam non posse dici affectiuam scientiam, si actiuum ponatur aliquid distinctum à practico: si verò idem esse dicatur, veram esse existimat. Hoc autem ideo asserit, quia putat praxim esse actum voluntatis, vel elicatum, vel imperatum: actum verò practicum intellectus, cognitionem, quæ mouet affectum, ut supra retulimus.

Verum cum praxis non sit tantum affectus voluntatis: nec practica cognitio semper sit illa, quæ mouet affectum: quia etiam speculatiua mouere potest, ut infra dicemus; nihil obest quo minus eadem scientia simul possit esse speculatiua, & affectiuum; sicut practica etiam, & affectiuum. Sententiam Egidij tradidisse videtur Albertus in 1. d. 1. art. 4. vbi docet, Theologiam esse affectiuam scientiam, sed non negat esse speculatiuum, & practica[m]: imo in Summ. 1. p. tract. 1. memb. 3. dicit esse practica[m], quia circa opus virtutis versatur. Videtur autem practica[m] solum appellare, quia etiam si Deum consideret; considerationem tamen refert ad amorem: accipit verò praxim eo modo, quo Scotus: expressè tamen non negat esse speculatiuum. Nos autem dicimus, etiam si Theologia sit affectiuum scientia, dicendam esse nihilominus practica[m], & speculatiuum, si alia conditiones non desint, de quibus postea dicemus.

CAP. III.

Quid senserit Henricus.

Quarta opinio sit Henrici in Summ. art. 8. q. 3. asserentis, Theologiam simpliciter esse speculatiuum, non negat esse practica[m], neque expressè affirmat esse practica[m], & speculatiuum simul, sed speculatiuum simpliciter vocat, quia licet ex parte dirigat ad actionem; cum tamen hoc ordinetur ad contemplationem, & speculationem Dei, quem putat esse præcipuum finem Theologiæ, simpliciter dicenda est; inquit ille, speculatiua, non practica: sicut contra, philosophia moralis, etiam si speculetur veritates: quia tamen speculati-

Egid.

*7.
Reiciitur.*

Scotus.

Eadem scientia potest esse speculatiua, & affectiuum, & practica simul.

Albert.

8.

*Henric.
Theologia est speculatiua simpliciter.*

tionem ordinat ad opus, dicitur simpliciter practica. Supponere autem videtur cognitionem practicae esse, non ut putavit Scotus, quae mouet affectum, sed quae habet pro obiecto operationem.

Refutatur. Hæc sententia, in eo quod supponit, vera est: quod si admitteret Theologiam simul esse practica, & speculativam, simpliciter autem speculativam, hoc est, principaliter, non differret à sententia S. Thomæ, & aliorum, quam puto esse veriorum: si tamen dicat omnino esse speculativam, aut nullum habere actum practicae cognitionis, facile revinci poterit ex iis, quæ dicemus infra: ex quibus etiam patebit cognitionem practicae etiam si assumatur, ut medium, & dispositio ad contemplationem, non esse speculativam, sed intra limites practicae manere: si ergo Theologia nostra habet actum cognitionis practicae, & speculationis, ut probabitur, dici non debet simpliciter, hoc est, omnino speculativa, bene tamen simpliciter, hoc est, principaliter speculativa.

CAPUT IIII.

Sententia Durandi.

Durand. *Triplex actus in Theologia.* *Prima pars sententia Durandi.* Quinta opinio est Durandi, in q. 6. Prologo. num. 20. qui præmittit, tribus modis accipi Theologiam; sicut notaverat in q. 1. Prolog. num. 6. & q. 5. num. 6. Primo quidem, pro habitu, quo credimus ea, quæ in sacra Scriptura traduntur. Secundo, pro habitu, quo eadem declarantur, & defenduntur. Tertio, pro habitu, quo ex articulis fidei conclusiones deducuntur: ait ergo q. illa 6. Prolog. num. 20. Primo, Theologiam primo modo esse practica simpliciter: probat, quia illa scientia, quæ pro obiecto habet aliquod opus, est practica simpliciter: sed Theologia primo modo habet pro obiecto opus meritum, ubique enim exhortatur ad opera bona: ergo hoc modo est practica simpliciter. Nam si aliquando in Scriptura proponitur aliquid omnino ad speculationem pertinet, mirum non est; quia id raro fit, & ut plurimum traduntur ea, quæ ad mores spectant. Idem omnino docet in ea q. 6. num. 25. de habitu fidei secundum totam suam latitudinem.

2. Pars. Secundo docet, Theologiam secundo modo, habitum scilicet declarandi, & defendendi principales articulos fidei, esse simpliciter speculativam. Probat, tum quia obiectum illius non est operatio aliqua, sed Deus ipse sub ratione salvatoris, qui non ad opus, sed ad speculationem pertinet: tum etiam quia ille est habitus speculativus simpliciter, cuius operatio est cognitio veritatis, & ibi sistit: habitus autem, qui ponitur ad defendenda mysteria, ad hoc tantum deseruit, ut veritas cognoscatur, ergo est speculativus.

3. Pars. De tertio modo Theologiae nihil dicit in corpore questionis, quia putat in primum modum recidere, & utriusque eandem esse rationem. Quare in opinione illius tertio dicendum est, Theologiam, quæ deducit conclusiones ex articulis, de qua est nobis præcipua controversia, esse simpliciter practica, quam doctrinam ipse etiam tradit q. illa 6. Prolog. in solutione 2. ubi & peculiarem huius assignat rationem; quasi etiam dixerat supra quæst. 5. num. 21. Inquit igitur Theologiam, quæ est habitus ad deducendas conclusiones ex articulis fidei, ita esse practica, ut etiam ex articulis ad solam speculationem pertinentibus, non deducat conclusionem speculativam, sed omnino

Vaquez in 1. part. Tom. 1.

practicam; censet enim cum aliquid speculativum deducitur ex articulis fidei non esse novam conclusionem, sed ad declarandum magis articulum ipsum solum deferuire; id tamen quod inferitur, ut propria conclusio, esse simpliciter practicum. Primum probat, nullam conclusionem speculativam deduci ex articulis, quia talis illatio, aut nihil, aut modicum perficit intellectum. Deinde multas conclusiones practicas colligit, probat. Nam ex eo, quod Christus semetipsum examinavit, non ad declarationem, sed ut novam aliquam conclusionem colligimus, nobis esse in humilitate etiam vivendum, quo pacto Petrus argumentatur in 1. epist. cap. 2. cum ait: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c. & ita existimat de aliis. Habemus autem ex sententia Durandi practica cognitionem habere pro obiecto operationem aliquam, nec satis esse si moueat ad amorem, ut docuit Scotus.

Refutatur opinio Dur. Hæc sententia multo minus mihi probatur, quam opinio Henrici. In primis enim frustra ipse distinguit habitum Theologiae, quo cognoscuntur mysteria religionis, quæ in Scriptura continentur, atque habitum, quo ista omnia defenduntur: idem enim habitus fidei, qui docet veritates ipsas quoque defendit, & declarat: aut saltem, si hoc non præstat fides in quocunque homine, præstat Theologia, quæ versatur circa conclusiones deductas ex articulis. Idem enim habitus ostendit veritates, quæ ex articulis colliguntur, & consequenter satisfacit iis, quæ contra illos obici poterant deducendo ad absurdum, vel alio modo arguendo. Conducit etiam plurimum philosophia, quæ Theologiae adiumento esse solet, ut notatum est. Denique si habitus distinguendi sunt, satis videtur duos distinguere, alterum fidei circa articulos, alterum Theologiae circa conclusiones.

Refutatur prima pars. Sed age, concedamus Durando tres habitus Theologiae, ut ipse contendit; saltem Theologia primo illo modo dici non potest simpliciter practica, si simpliciter idem significet quod omnino, vel ex omni parte, ut intelligere videtur Durandus. Hæc enim nihil aliud est quam fides mysteriorum nostræ religionis, quæ multa mysteria speculativè omnino considerat, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, &c. ergo Theologia primo modo bona ex parte speculativa est. Quod vero dicit in Scriptura plura reperiri, quæ pertinent ad practica cognitionem, quam quæ ad solam speculationem, parum refert: satis enim est, ut sit speculativa, esse aliqua mysteria, quæ solum pertineant ad speculationem: imo si hæc rectè numerentur, non sunt pauciora. Quamvis enim pluries Scriptura loquatur de rebus ad mores pertinentibus: omnia tamen ad pauca capita reducuntur, præceptorum nimirum, & consiliorum, quæ sæpius repetuntur in Scriptura; Theologia ergo hoc modo non est majori ex parte, nedum simpliciter, & omnino practica. Si verò illa simpliciter, significet idem, quod principaliter, potius deberet dicere Durandus, esse simpliciter, hoc est, præcipue speculativam: sicut asserit S. Thomas de nostra Theologia, quæ deducit conclusiones: nam ea, quæ præcipue considerat, ut Deus, & quæ ad ipsam spectant, ad speculationem, non ad cognitionem practica pertinent.

Refutatur 2. pars. Secundo falsum est, quod docet Theologiam secundo

C 3

secundo

secundo modo, pro habitu nimirum declarandi, & defendendi mysteria esse solum speculatiuam. Si enim semel admittit Durandus, Theologiam primo modo, hoc est, fidem mysteriorum esse practicā simpliciter, profecto habitus ipse declarandi, & defendendi hæc mysteria, qui est Theologia secundo modo, erit etiam practicus. Cum enim defenso, & declaratio per singulas propositiones habeat idem obiectum, quod habet fides, seu Theologia, primo modo sequitur utramque eiusdem rationis & conditionis esse. Nam quamuis habitus defendendi, & declarandi ad inuestigandam veritatem ordinetur; nihilominus practicus erit, si veritas, quæ declaratur, & defenditur, practica est.

13.
Durand.
3. pars, reit-
atur.

Tertio denique quod docet Durandus, videlicet Theologiam tertio modo, de qua nunc est controuersia, esse omnino practicam, præterquam quod falsum esse facile ostendimus c. 5. & 6. ratio etiam, quia ipsum probat: nimirum, quia ex articulis fidei, qui in speculatione consistunt, non possit inferri aliquid, nisi practicum; falsum etiam manifestè supponit. Si enim Theologia primo modo, hoc est, fides articulorum, aliquando versatur circa obiectum solum speculationis, quod negari nequit, quomodo ex illo inferri non potest aliquid pertinens ad solam speculationem? In materia enim de incarnatione, ex eo quod credimus Verbum assumpsisse humanitatem, colligimus mentem quoque humanam, & non solam diuinam habuisse: deinde humanitatem illam non fuisse adoptatam, sub conditione serui non mansisse, opera illius idonea fuisse ad redemptionem generis humani, & plura alia, quæ non solum articulum ipsum reuelatum explicant, & declarant; sed etiam nouam aliquam veritatem continent, quæ in speculatione omnino consistit: & licet conducant ad pleniorum articuli intelligentiam, non propterea à ratione scientiæ speculationis reici debent: nulla enim demonstratio est quæ veritate conclusionis, quam demonstrat, non magis explicet principia, ex quibus infertur.

14.

CAPVT V.

Notationes pro verioris sententiæ
explicatione.

Ceteris omnibus probabilior sententia est non paucorum, qui asserunt, Theologiam, quæ circa conclusiones ex articulis deducendas versatur, esse simul practicam & speculatiuam. Hanc tradunt S. Thomas in hoc articulo, Caiet. & recentiores ibidem, Okam. q. 4. principali Prolog. artic. 3. qui ponitur quæst. 11. in ordin. Gab. q. 12. Gregor. q. vlt. art. 4. iuncta etiam doctrina aliorum articulorum. Capreol. quæst. 2. artic. 1. concl. 6. Maior. q. 6. concl. 2. & 3. & Canus 12. de loc. cap. 2. Sed quia in eius confirmatione non satis conueniunt; necessarium duxi præmittere quædam, quibus explicatur, & à prædictis Doctoribus, ut magis probabilis respicitur. Deinde verò paucis referam, in quo ipsi inter se differant.

S. Thom.
Caiet.
Okam.
Gabr.
Gregor.
Capreol.
Maior.
Canus.

Notatio 1.
quæ sit pro-
prio practi-
cum.
Aristotel.

Primo igitur, cum controuersia hæc verborum potius, quam rerum esse videatur, & nominibus non sit pro libitu vtendum, videndum est, quid à philosophis, præcipue verò ab Aristotele, appellari soleat intellectus, aut mens πρακτικῆ, ipse enim primus omnium intellectus diuisit in practicum, & speculatiuum. Eadem verò ratione, qua

intellectus dicitur practicus, dicitur etiam, & habitus. Mens igitur alia dicitur à philosophis factiua, quam Græco nomine ποιητικῆ, vocant alia verò actiua, quam Græci appellant, πρακτικῆν, nos autem Latine communiter reddimus practicum. Factiua verò dicitur, quia pro fine habet effectum: practica autem, quia habet actionem. Quod si credimus S. Thomæ, qui 1. 2. q. 57. art. 4. censet, actionem solum dici immanentem, effectum verò transeuntem, consequitur intellectum, aut mentem actiuam esse, quæ sua cognitione dirigit ad actionem aliquam immanentem, & eam pro obiecto habet, factiuam verò, quæ respicit transeuntem, & illius principium est. Hanc distinctionem actionis, & effectus videtur tradidisse Aristotel. 9. metaph. cap. 9. ubi actiones transeuntes operationes appellat, quia dicuntur respicere opus: immanentes verò vocat actiones, quia nullum ex illis opus factum permanet.

15.
S. Thom.
Quid actio
quid effectus
dicitur.

Verum in hac re varius videtur fuisse: nam 6. Aristot. Ethic. c. 5. inquit finem effectus esse quid aliud præter ipsam, actionis verò non semper: quasi existimet, ex actione aliquando superesse aliquid opus, præter ipsam, & 6. metaph. cap. 1. alio modo hæc duo distinguit, docet enim idem esse eligibile, & agibile, circa quod inquit versari mentem actiuam, seu practicam. Quare existimat, hanc solum circa morales actiones esse, factiuam autem ad artem spectare. Ex eius igitur sententia sola prudentia erit practica, seu actiua, ars vero erit factiua, seu operatiua. Denique 1. Magnor. Moral. c. vlt. hæc duo alio modo vsurpat: ait enim, Nimirum factientium, & agentium non idem facile, & actile, nam factilium præter facturam, finis superest alius, ponit autem exemplum in constructione domus: At in eis, quæ sub actionem cadunt nullus est alius finis, ut præter citharæ modulatum. Quibus plane docet actionem quoque dici transeuntem, quam sanè diuisionem sequitur Alexand. Aphrod. 6. metaph. c. 1. Ea verò seruata, non sola prudentia, sed etiam aliqua artis operatio ad actiuam mentem pertinebit. Facile autem cum doctrina huius capitis vltimi 1. Magnorum Moral. conciliari posset quod Arist. docuit 9. meta. c. illo 9. si dicamus eo capite appellari ab Aristotele operationes eas, quæ sunt transeuntes, non semper, sed vt plurimum: quia ex pluribus earum manet opus factum. Cum enim ipse dicat 1. Magnor. Moral. c. vltim. & experientia constat, ex aliquibus transeuntibus non manere opus, vt ex citharizatione, & aliis; sequitur, aliquas transeuntes non esse dicendas operationes iuxta doctrinam etiam ipsius 9. meta. cap. illo 9. ubi dicit ab opere facto, quod manet, operationem appellari. Contra verò immanens, ex sententia Aristot. nunquam poterit dici operatio, quoniam ex nulla immanenti permanet opus factum.

16.

Al. vult.
Aphro.

Conciliatur

Sed adhuc videtur sibi ipsi aduersari Arist. eodem c. vlt. 1. Magnor. Moral. & rursus asserere id, quod 6. meta. c. illo 1. docuerat: inquit enim, Circa actionem itaque, & qua in agendo posita sunt, prudentia; circa facturam, & qua in faciendo posita sunt, ars. Sentit igitur actile idem esse, quod eligibile à prudentia: factile verò idem, quod opus artis, sicut docuerat 6. meta. cap. 1. Ex his tamen, quæ eodem cap. vlt. subiungit, facile conciliari possunt hæc loca. Reddit enim rationem his verbis, Si quidem

Aristot.
Iterum dicitur
videtur.

Aristot.

Conciliatur

in

17. in faciendo potius, quam in agendo, est artem exercere. Cum dicitur potius, indicat artem, ut plurimum circa opus versari, quod ex operatione manet: & ideo ad mentem factiorem pertinere: nihil tamen obstat, esse aliquam artem, nimirum liberalem, ex cuius actione nullum opus maneat; & ita non ad factiorem mentem, sed ad practicam spectet: ut plurimum ergo ad artem pertinet facere, non agere, quod conuenit omnibus mechanicis, quas S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. dicit precipue artes nuncupari; liberales autem, qualis est citharizandi, non, nisi per similitudinem ad mechanicas. Est igitur differentia inter actionem, & operationem, quod actio est, cuius opus non manet factum, operatio vero, cuius opus manet: & hac ad factiorem, illa ad practicam mentem spectat, nulla facta distinctione immanentis, & transeuntis, prudentia, & artis. Nunc vero cum de predicta cognitione loquimur, utramque confundimus, & simul complectimur factiorem, & actiorem, quatenus ab speculatione distinguitur. Quocirca eodem nomine operationis, aut praxis, & effectiorem, & actionem intelligimus.

Secundo supponendum est, praxim vniuersim acceptam, esse aut actionem, aut etiam operationem cuiuscunque potentia, & non solum voluntatis, ut putauit Scotus: quamuis enim in sensu in quo loquitur Aristot. loco citato praxis solum sit actio, quatenus differt ab operatione: quia tamen nunc confundimus mentem practicam, & factiorem, ut utramque distinguamus a speculatione, pro eodem usurpare debemus praxim seu actionem, & operationem seu affectionem, ut optime notauit Greg. 5. Prol. art. 1.

In hunc etiam modum usurpauit praxim Capreolus q. 11. 2. art. 1. in probationibus 4. conclusionis; quod vsque adeo verum putat, ut censet, praxim, a qua dicitur intellectus, vel habitus, vel actus practicus, non solum esse actionem exterioriorem, ut indicare videtur S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 1. ad 1. & 2. 2. q. 179. art. 2. & actionem interioriorem voluntatis, ad quam deferuntur actus practici prudentia, de quo S. Thom. 2. 2. q. 47. art. 5. sed etiam actum ipsius intellectus, quatenus voluntarius est, & ab alio reflexo media electione dirigitur. Probat ex S. Thoma q. 11. 4. art. 2. ad 2. ubi docet, obiectum prudentia esse actionem actum speculationis rationis, quatenus sub electionem, & prudentiam cadit, est praxis: prudentia enim practica est, ac proinde praxim pro obiecto habet; ergo ipsa speculatio recte vocatur praxis. Neque sibi contrarius est, cum art. 3. ad 1. Aureol. circa 4. concl. negat actum intellectus esse praxim; loquitur enim de actu intellectus secundum se, non prout voluntarius est, & sub electionem cadit, sicut ipse explicat in solutione 1. argum. Gregorius contra eandem conclusionem: subdit tamen, logicam non esse scientiam practicam, sed speculatiuam, etiam si dirigat ad opus rationis, qui non dirigit media electione, sed proxime speculatione sua. In hoc tamen fallitur: tum quia nulla operatio rationis, qualis est constructio syllogismi, dirigitur, aut fit ab alia operatione intellectus, nisi media electione; nam ex electione applicat homo intellectum ad faciendum hunc, vel alium syllogismum: tum etiam quia quamuis logica sine electione dirigeret ad opera rationis, nihilominus hoc pacto practica esset appellanda, siquidem operatione

sua dirigeret ad praxim, eo ipso quod dirigeret ad operationem intellectus. Quomodo vero logica simul sit practica, & speculatiua, inferius patebit.

Quare, cum logica diuidatur communiter in docentem, & vrentem, ego hanc diuisionem sic intelligerem, ut logicam docentem dicerem esse ipsum habitum, & actum logicæ, quo quis considerat, & promouet opera rationis, iuxta regulas in ipsa traditas: logica vero vrens dicitur praxis, & opus huius artis, ipsa videlicet constructio propositionis, & syllogismi in hac, vel illa materia, quæ sanè in omnibus scientijs reperitur: & ob id logica inter artes connumeratur, quia versatur circa opus. Mito varias acceptiones praxis, quas adducit Gabr. quæst. illa 20. art. 1. notatione 2. & Okam. q. 11. 4. art. 1. Ex quatuor enim acceptionibus, duas posteriores putant ad questionem præsentem solum pertinere; tertiam nimirum, qua dicitur praxis quælibet operatio, tam bona, quam mala, quæ est in nostra potestate: & quartam, quam inquirunt esse propriissimam, & dicitur esse studiosa operatio. Vtroque autem modo operatio intellectus dici potest praxis, ut supra notauimus ex mente Capreoli, & expresse fatentur Gabr. & Okam.

Tertio notandum est, non satis esse ad hoc, ut actus intellectus dicatur practicus, quod ex ipso sequatur praxis, etiam si naturali quadam consecutione ex illo fiat: & ideo deceptus est Scotus, cum dixit omnem actum intellectus, quem sequitur amor, aut delectatio, esse practicum: nam ex ipsa speculatione oriri potest, ut infra dicemus, sed necesse est actum intellectus versari circa praxim tanquam circa obiectum, cogitando qualiter talis actio, aut operatio fieri debeat, aut possit: ut cum aliquis cogitat, qualiter statua facienda, vel ædificium construendum sit: quomodo bonum sit amare, vel odio habere, aut etiam speculari. Ita docuerunt Okam. q. 4. Prolog. art. illo. qui ponitur q. 10. in ordine Gabr. quæst. 11. artic. 1. Maior q. 6. proposit. 2. ex ijs quas præmittit ante solutionem questionis, Gregor. q. 5. art. 2. Capreol. q. 2. art. 5. concl. 5. Imo etiam S. Thom. q. 14. de veritate art. 1. & in 3. d. 23. quæst. 2. art. 3. quæstiu. scula 2. quibus in locis aperte docet non esse aliquam practicam notitiam ex eo, quod moueat affectum ad amorem rei cognita, sed ex eo tantum, quod respiciat ipsammet operationem, & praxim: & hoc est, inquit, notitiam proximè dirigere ad praxim: remotè verò dicitur dirigere etiam speculatione, quando illam sequitur amor. Quocirca intellectus simplex, & incomplexa presse, & proprie non erit practica, ut notarunt Okam, Gabr. Maior, & Gregorius: simplex enim notitia non respicit ut obiectum actionem, vel operationem.

Porro actum practicum semper versari circa praxim constat ex Aristot. 3. de Anima c. 10. text. 30. ubi de intellectu practico sic loquitur. Atque hic, sine ab intellectu contemplatiuo differt. ac simpliciter, obiectum diuersum respicit. Hanc verò differentiam clarius ostendit 2. meta. cap. 2. cum inquit; Speculatiua (scilicet scientia) etenim finis veritas, practica autem opus: cum dicit opus, intelligit praxim esse finem, seu obiectum scientia practica, ac proinde cognitionis etiam practica obiectum, & 6. Ethic. cap. 1. intellectum ipsum, & rationem diuidit in vnam partem, qua contemplatur ea,

Logica vrens & docent.

Gabr. Okam.

20.

3. notatio.

Scotus.

Actus practicus debet habere pro obiecto praxim.

Okam.

Gabr.

Maior.

Gregor.

Capreol.

D. Thom.

Actus simplex non potest esse practicus.

27.

Aristotel. Probatur ex Arist.

Aristotel.

qua

quæ necessaria sunt; hæc est speculatiua; & in alteram, qua perspicimus ea, quæ aliter se se habere possunt; & hanc dicimus practicam: & ad hanc inquit Aristot. pertinere consultationem de rebus contingentibus, nimirum de actionibus nostris, de quibus solum esse potest: vt 1.2. q. 13. & 14. dicimus: ex sententia igitur Aristotelis notitia practica non versatur circa æterna, & quæ non sunt in nostra potestate: quare, si aliqua consideratio æternorum mouet affectum, nihilominus speculatiua erit.

*Probat
ratione.*

22.

Aristot.

Opinio quorundam de notitia practica.

Impugnatur.

23.

4. notitia.

Ratione quoque probatur: nam si ad rationem practicæ satis esset mouere affectum, nulla sane cognitio esset speculatiua; nam & ipsa physica scientia, & metaphysica, quæ omnium sententia speculatiuæ omnino dicantur, practicæ quoque iure optimo nuncupari possent. Speculatio enim eorum, quæ ab ijs considerantur, mouere potest affectum ad delectationem, & amorem rei cognitæ. Nam, vt ait Arist. 10. Ethic. c. 7. & 8. ex perfectâ speculatione nasci potest perfectâ delectatio. Restat igitur, vt practica cognitio solum dicatur, quæ circa praxim versatur, & eam pro fine, & obiecto habet.

Verum recentiores aliqui docent, duobus modis notitiam aliquam practicam vocari ex fine: quemadmodum, & finis ipse dupliciter usurpari potest: vno modo ex fine sub ratione finis, quo solum comparatur ad effectum: & hac ratione dicunt practicum pendere à voluntate, imò à sola recta voluntate; ac proinde prudentiam solum, & artem esse practicos habitus: & ob eam rationem hos duos tantum Aristotelem assignasse intellectui practico 6. Ethic. cap. 2. Altero modo dicitur aliquid practicum ex fine, non sub ratione finis formaliter, sed materialiter; hoc est, ex re ipsa, quæ est finis: quamuis illam non respiciat sub ratione finis, & boni: & hoc modo affirmant scientiam moralem esse practicam, qui respicit praxim vt obiectum, quæ secundum rem est finis: quamuis eam non respiciat sub ratione boni ex affectu recto circa illam: potest enim quisque ex prauo affectu hanc notitiam habere.

Cæterum distinctio hæc finis ad rationem, vel distinctionem practicæ notitiæ, aut habitus nihil omnino pertinere videtur: neque Aristoteles eam vsquam tradidit: neque eo loco ideo duos illos habitus intellectui practico tantum assignat, quia illi solum practici sunt, ibi enim non enumerat speciatim omnes, qui ad practicam mentem spectant. Ratione ergo prædicta sententia refellitur, quia notitia non videtur dicenda practica, aut factiua ex eo, quod à voluntate procedat: vt enim supra contra Bassolū notauimus, practica notitia esse potest, quæ præcedit omnem voluntatem; si tamen illa proponat aliquid faciendum: simpliciter igitur practica dicitur à praxi, quam habet pro obiecto. Aristoteli vero edixit speculatiuam rationem, & practicam fine differre, non quia ex motione finis medio affectu practica operetur: alioquin, & speculatiua ex fine etiam operaretur, siquidem & illa etiam dicitur fine differre à practica, sed quod obiecto differant: obiectum enim, finem appellauit.

Quarto obseruandum est, non satis esse ad rationem practicæ notitiæ circa praxim versari, cum tamen hoc necessarium sit, vt ex tertia notatione patet: sed opus etiam esse versari circa illam pecu-

liari quadam ratione, qua dirigat ad opus, quod vulgo dicitur, versari circa rem operabilem, & modo operabili. Id quod optime explicauit, S. Thomas infra qu. 14. art. 16. vbi ita dicit: *Si adificiator consideret, qualiter possit fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit quantum ad finem speculatiui consideratio: tamen de re operabili.* Quasi dicat ex modo suo, & formaliter erit speculatiua; ex obiecto tamen, & materialiter erit practica: quia est de opere aliquo faciendo. Hinc colligit scientiam, quæ est speculatiua, etiam ex obiecto, quia non est de opere aliquo, esse simpliciter speculatiua, hoc est ex obiecto, & modo: eam verò, quæ est de opere, habet tamen modum speculationis, esse secundum quid speculatiua, hoc est aliqua ratione: ob id tamen non negat esse formaliter speculatiua.

Id ipsum videtur tradidisse Arist. 2. met. c. 1. text. 3. his verbis, *Speculatiua etenim (scilicet scientiæ) finis veritas, practica autem opus. Etenim, si quomodo se habent, considerant non causam per se, sed ad aliquid, & eo in tempore practice speculantur.* Ac si dicat, vt explicat Commentator, ratio practica, si quando considerat causam rei, non contemplatur eam, vt sciat veritatem, & hoc est non per se, aut secundum se causam considerare; sed vt operetur id, quod considerat; non solum ergo requiritur, vt notitia sit practica, considerare naturam operis; sed etiam ad operandum eam cogitare. Et hæc est consideratio practici intellectus, quæ reuera practica notitia est. Consentit Caiet. in illo art. 16. Ferra. 3. contra Gen. cap. 20. Iauel. 6. metaph. q. 5. Sonzin. qu. 4. Aureol. in qu. 3. Prolog. art. 2. quem refert Gregor. 5. artic. 2.

Neque verò satis est, vt notitia sit practica, ordinari ad opus solum ex voluntate operantis: sic enim opus ipsum esset finis scientiæ per accidens, ex sola voluntate scientis; sed oportet ordinari ad opus, tanquam ad finem per se, hoc est, tanquam ad obiectum proprium. Potest tamen ordinari ad hunc finem bifariam. Primum ex se fine voluntate præcedente operandi; ita vt moueat ad opus, nec detineat intelligentem in sola contemplatione veritatis. Huiusmodi sunt dictamina Synderesis, quæ præcedunt omnem voluntatem. Practica mouere potest ad opus ex præcedente voluntate ipsius operis, qualis est notitia artis ad sua opera faciendâ; & vtroque modo notitia ita est practica ex fine operantis, vt etiam ex proprio fine, & obiecto practica sit. Et hoc modo intelligendi sunt Doctores pro hac sententia allegati, cum dicunt, notitiam esse practicam ex fine operantis, non ex fine ipsius scientiæ; quia scilicet non sufficit, finem, & obiectum scientiæ esse praxim, sed necesse est eo modo, quem diximus, dirigere ad opus.

Contra verò cum aliqui contendunt, notitiam non esse dicendam practicam ex fine operantis, sed ex fine ipsius scientiæ, intelligunt, ex solo fine operantis, qui extrinsece apponitur scientiæ, & non est obiectum ipsius, nō posse dici practicam; veluti si aliquis specularetur veritatem aliquam, etiam cum intentione, vt postea adiungeret, & disponeret ad operandum, non esset notitia illa dicenda practica, etiam si haberet pro obiecto opus. Et cum aliquis discit opera artis, vel opus factum ab aliquo insigni artifice considerat, vt doctior

Sciētia practica est, quæ dirigit ad opus, S. Thom. Probatur ex S. Thom.

24.

Caiet. Ferr. Iauel. Sonzin. Aureol. Notitia practica dicitur non ex sola voluntate scientis.

25.

Okam.
Gabr.
Gregor.

26.

euadat in arte, sine intentione tunc ea vtendi, dicetur speculati, & contemplari potius, quam practicum notitiam habere. Bene video contrarium docuisse Okamum q. 4. Prola. 2. qui ponitur r. 1. q. in ord. Gabriel. q. 1. a. 1. no. at. 2. & Greg. q. 5. a. 2. qui censent, ex eo solum notitiam aliquam dicendam esse practicum, quod habeat opus, & praxim pro obiecto. Alioqui sequeretur, inquit Greg. eundem habitum successiue esse practicum, & speculatiuum circa eandem conclusionem. Ego vero id non existimo abiurdum; quia non repugnat aliquem considerare opus, vt faciat, aut solum speculand, & contempland veritatis, & naturae illius gratia; & ita eundem habitum, circa eandem conclusionem, simul esse practicum, & speculatiuum; quamquam eadem notitia simul vtrumque esse non possit. Habitus autem simul est practicus, & speculatiuus, quia potest saltem successiue vtroque modo operari.

CAP. VI.

Explicatio vterioris sententiae.

Theologia
simul est
practica &
speculatiua

27.

Idcirco haecenus fundamenta, quibus postrema sententia confirmanda est, & explicanda; quae asserit, Theologiam esse vnam scientiam, simul practicam, & speculatiuam. Iam vero hac ratione probatur. Illa scientia practica dicenda est, cuius actus est practica notitia; speculatiua vero, cuius actus est sola contemplatio, & speculatio; quod si aliqua scientia habere possit actum vtriusque rationis, simul erit practica, & speculatiua; habitus enim scientiae ab actu proprio denominationem habet, sed Theologia vtrumque actum elicere potest: ergo simul est practica & speculatiua. Nam ex iactis fundamentis facile patet vtrumque actum à Theologia elici posse: practica enim notitia est, quae praxim habet pro obiecto, vt in tertia notatione dictum est, & circa illam versatur eo modo, quo dirigit ad opus, vt in vltima notatione explicauimus. Speculatio vero, aut est talis obiecti quod non est praxis ipsius cognoscentis, aut licet habeat pro obiecto opus ipsius, circa illud tamen versatur gratia solum contemplandae veritatis, non autem operandae, vt in eodem vltimo fundamento notatum est. Atqui Theologia habet actus vtriusque rationis, ex parte enim considerat Deum, mysterium Incarnationis, & alia id genus, quae non habent rationem praxis: ex parte vero considerat multa in operatione posita: & haec duobus etiam modis, v. l. sola contemplatione veritatis, vel gratia operationis: potest enim Theologus vti Theologia perinde, atque prudentia, vt moueat seipsum ad recte operandum: habet ergo vtrumque actum, practicum videlicet, & speculatiuum, non tantum circa diuersas conclusiones, sed etiam circa eandem, vt explicatum est.

S. Thom.
Cap. 1.
Theologia
praecipue
speculatiua

Addunt tamen S. Thomas, Capreolus, & alij Thomistae Theologiam praecipue dicendam esse speculatiuam: id quod ego etiam verum existimo, non quia maiori ex parte speculatiua sit: quamquam & hoc, si omnia bene computentur, verum est: sed quia praecipuum obiectum illius, per ordinem ad quod cetera, quae in ea tractantur, ad ipsam tanquam ad vnam scientiam pertinere dicuntur, Deus est, qui solius speculationis obiectum esse potest. Ex quibus omnibus satis constat hanc esse vtiorem sententiam: quia eodem modo practi-

cum, & speculatiuum vsurpat, quo Aristot. & alij philosophi acceperunt. Ex his quoque impugnari possunt opiniones singulae, quas initio recensuimus, nam earum auctores sine fundamento aliquo, prout eis libuit, practici, & speculatiui denominationes vsurparunt. Si qua vero sunt pro illis argumenta, ex dictis facile diluuntur.

28.

DISPUTATIO IX.

Quo pacto practicum, & speculatiuum eidem scientiae conuenire possint.

Eandem scientiam Theologiae, sed non eundem habitum esse practicum, & speculatiuum senserunt Nominales. cap. 1.

Habitum Theologiae esse practicum, & speculatiuum eminenter, docuit Caius. an. cap. 2.

Vterior sententia, eundem habitum Theologiae non solum eminenter, sed forma uer esse practicum, & speculatiuum cap. 3.

CAPUT I.

Eandem scientiam Theologiae, sed non eundem habitum esse practicum & speculatiuum senserunt Nominales.

SUPEREST difficultas inter Doctores, qui vltimam sententiam superiori disputatione secuti sunt, qui fieri possit, vt practicum, & speculatiuum, quae non solum videntur esse differentiae essentiales, & oppositae habituum, sed etiam facultatum, vt docet Aristot. 3. de Anima c. 10. text. 33. eidem Theologiae, aut habitui conueniant. In qua difficultate prima opinio est Okami, Gabri. Greg. & Maioris: qui affirmant, eandem scientiam Theologiae simul esse practicam & speculatiuam, non tamen eundem habitum. Putant enim Theologiam, & quamcunque scientiam pluribus habitibus constare: imo singulis circa singulas conclusiones, ex omnibus tamen conflari scientiam Theologiae ordine quidem vnam, non autem in genere qualitatis: & quia in ea sunt variae conclusiones, aliquae omnino in speculatione, quales sunt de Deo, aliquae circa praxim, idcirco dicunt Theologiam esse practicam, & speculatiuam simul non secundum eundem habitum circa eandem conclusionem, sed ratione vnius practicae, ratione alterius speculatiuae. Ex commemoratis vero auctoribus Gregorius non vult concedere eundem habitum practicum, & speculatiuum circa eandem conclusionem vt superiori disp. cap. 5. in fine retulimus.

Okam.
Gabr.
Gregor.
Maior.1.
Quamuis scientiam pluribus habitibus constare.

Horum autem sententia, & fundamentum mihi non probatur. Primum quia censo vnam scientiam esse vnam simplicem qualitatem, de quo modo ex professo non disputo: id quod hac ratione mihi habeo persuasum. Quia habitus scientiae debet esse qualitas distincta ab speciebus intelligibilibus. nam scientia nequit esse coordinatio specierum: vix enim intelligi, nedum explicari potest, quis sit ille ordo specierum, quem, nonnulli dixerunt, esse habitum, cum non sit ordo secundum situm, nec secundum aliquam immutationem substantialem ipsarum specierum: esse autem vnam simplicem qualitatem distinctam a

Scientia est
vna simplex
qualitas
distincta a
specie.

spe-